



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1652. usque ad annum 1662

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1779**

**VD18 90119185**

§. 23. Bellum contra Danos redintegratum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67372)

Sæc. XVII.  
A. C. 1658.

nerdam, Menenam & denique Ypres post quintum obsidionis diem cepit, interim vero Ferteus Marecallus Gravelinam die trigesima Augusti Regis armis subjecit, Hispanis unacum Ligurum Principe deletis. Tam multiplicis victoriæ plausum turbabat adeo vehementer Regis Ludovici morbus, ut nisi firmæ ejus habitudo potentissimis adjunctis mediis febris violentiam fregisset, ejus vita actum fuisset: recuperatam salutem salute Rex Mardico Lugdunum secessit, ubi eidem nuntiatum, quod Joannes Austrius a Gallis ad Burgundiam invasus, omnia sua belli tormenta suppellestem amiserit, denuo sibi consulere compulsus. Nec magis prospere Hispani pugnabant in Italia postquam enim Sabaudia Dux suas copias Mutinensi Duci & Navellio Marschalo junxerat, hic expugnata Mantua urbe, Hispanos prope Adriaticum flumen in fugam egit, trucidatis plurimum quadringentis, captisque quatuor plurimis.

§. XXIII.

*Bellum contra Danos redintegratum*

*Tuld. Hist. Europ. l. 9.* Interim Joannes Casimirus Poloniæ Rex die sexta Julii Varsoviæ Regni committia habuit, in quibus pacem cum Austria

Austriacis, Moscis & Marchione Brandeburgico in vitam religiose servari, atque exercitum contra Suecos conscribi præcepit; quamvis enim Poloni Thorunium urbem post sex Mensium expugnationem e Suecorum manibus eriperint, adhuc tamen horum potentia & felicitas Poloniæ Regno ac fœderatis infesta erat; eapropter Leopoldus Hungariæ Rex Coloniam ad Spream cum Friderico Guilielmo Brandeburgico Electore non modo ad propriam defensionem, sed & repellendam vim a Suecis inferendam fœdus iniit. Nec tamen inde terrebatur Carolus Gustavus ubique victor: infausto enim Marte Fridericus Daniæ Rex pugnabat adversus Suecos, qui unacum multis belli tormentis, aliquot navibus, & plurimis signis ineunte hoc anno Fioniam Insulam occuparunt, terroremque tam magnum Hafniam usque circumtulere, ut Daniæ Rex atrociorem veritus cladem, Roschildiæ die vigesima sexta Februarii non minus indecorum, quam perniciosum fœdus pacemque inire, ac Schoniam Provinciam victori cedere cogeretur. Nec his satiata erat Caroli Gustavi hostem suum opprimendi cupiditas; rupta enim pace rursus bellum die decima quinta Augusti contra Danos instauravit, ac die decima sexta

Sæc. XVII.  
A. C. 1658.

Sæc. XVII. Septembris Kronæburgo deditione ca-  
A.C. 1658 pto, Hafniam Regni Metropolin toto  
 armorum apparatu obsidione cinxit,  
 necnon cum valido agmine in Holfatiz  
 Ducatum irrumpens, hostilem in mo-  
 dum rapinis, & incendiis omnia facta  
 devastavit: quocirca Leopoldus Impe-  
 rator edito diplomate omnes Imperii  
 Principes ac præcipue Saxonici Ci-  
 culi Ordines hortabatur, ut hanc belli  
 procellam aliis quoque Imperii urbibus  
 ac Provinciis impendentem armata vi  
 avertere niterentur: insuperhabito an-  
 tem Cæsaris decreto Carolus Rex De-  
 nos in Sinlandia Insula terra marique  
 in tantas redegit angustias, ut nil pro-  
 pius, quam Hafniæ expugnatio esset,  
 opportune tamen Batavi, qui cum ve-  
 lida classe laboranti urbi opem latam  
 accurrerant, Suecos navali prælio pro-  
 fligarunt, simulque Hafniam obsidione  
 liberatam annona abunde auxerunt.  
 Interim vero Poloni tam prospero Marte  
 contra Cosaccos & Moscicos pugna-  
 runt, ut hi post iteratam cladem bibe-  
 nio post propudiosam pacem cum Jo-  
 anne Casimiro Poloniae Rege inire, ur-  
 besque omnes, quas in Ukrania cep-  
 runt, reddere coacti essent.